

*Heft*  
CHRISTO SUCCURRENTI  
INCLITO PHILOSOPHORUM SENATU  
CONSENTIENTE

1658, 2

15

23

Theseshasce politicas

# DELEGATO

*Moderatore*

CHRISTIAN FRIDERICO

Frankenstein / LL. & Hist. Prof. Publ.

*ad*

placidam disquisitionem.

*d. 27. Martij*

A. S. M. DC. LVIII.

H. L. Q. C.

CAROLUS <sup>proponit</sup> Schram / Svidnic, Siles.  
A. & R.

LIPSIÆ,

Ex Officinâ BAUCHIANA.



Theses hasce ventilatas

**D E L E G A T O,**

*Academicorum Proventuum Primitias,*

*Qualemq; exercitationis specimen,*

*Nc fortuna lœva causante*

*Infelix cadmi filia maneat illocata.*

*Et Domi sedeat indotata,*

**V I R O**

*Antiqua antiqui generis Prosapia,*

*vetusta vetusta stirpis origine,*

*Summo Consiliorum sacratissimorum candore,*

*Magnifico magnifici officii splendore*

*Illustri & generoso*

**D N. D N. JOHANNI HEINRICO L. B. ab HOBERG**  
in Furstenstein, Freiberg, Fridland & Ronstok, &c.

*Sacratisimell<sup>l</sup> garia & Bohemiae Majestatis Consiliario dignissimo*

*Ducatum Svidn. & Jaurav. Assessori supremo gravissimo*

*Provincia ejusdem seniori spectatissimo*

*in Judicio Ducatum regio Capitanei*

*Legato eminentissimo*

*Nec non V I R O*

*Augusto nobilitatis stemmate*

*Excellentissima Jurium notitia*

*Nobilissimo & strenuo*

**D N. JACOBO A THAM,**

Tribunalis regii in Ducatis Cancellario celebratissimo

*Domino suo clementissimo*

*Patrono suo atatem colendo*

*in*

*Academi ex exercitii Symbolum*

*Perpetuae observantiae tesseram*

*Despondet & elocat*

*Autor & Respondens.*



J. N. J.



Vemadmodum celeberrimus quisque Atti-  
fex, in quacunque etiam arte laborem collocet in-  
defessum, instrumenta suæ arti accommodata sibi  
maximo pere comparare debet, quorum ope finem  
sibi propositum feliciter acquirat, & opus affabre  
conficiat: Ita etiam boni imperii, bono cuique Prin-  
cipi, quantacunque prudentia & potentia præditus sit, nullum majus  
instrumentum quam boni Amici. Tac. Hist. 4. c. 7. Non exercitus, neque  
thesauri, præsidia regni sunt, verum Amici. Micipsa apud Sall. jugurth. c.  
10. Nam maximum Principi onus incubit, & res omnino ardua est,  
ipsum unum præesse pluribus; unum caput plura capita regere; Leges  
condere; easdemque defendere, imperium Mari, terrâ, pace, bello, sa-  
pienter, prudenterq; moderari. Lips. in præf. Pol. Vix possibile est  
Principem sua scientia cuncta posse complecti. Tac. An. 3. c. 69. & unius  
mentem tanta molis esse capacem Idem An. 1. c. II. propter humanæ na-  
turæ imbecillitatem, quæ æquè apud Reges, ac infimæ sortis homines  
habitat; & si de sua unius sententia omnia gere se inconsideratè con-  
tenderet, pro superbo magis quam sapienti habendus foret. Conf. Lips. I. 3.  
Polit. c. 2. Quare cum magna negotia magnis adjutoribus egeant. Vellej.  
Paterc. lib. 2. c. 127. rectam ingreditur Princeps gubernandi viam, si alios  
viros fideles rerum hominumque peritos in partem curarum adsu-  
mit, multos sibi oculos, multas aures, multas manus atq; pedes facit,  
rectè æstimat, opibus auget, & ut quondam Imperatores, Hispaniæq;  
Reges nomina eorum suæ coronæ insculpit, quo de more testatur  
Didac. Saavedra in Symb. pol. 55. §. 1. Horum autem alii sunt, quibus  
secreta status commissa, qui in rebus subitis & secretioribus maximè  
necessarii, de negotiis ad majorem reip. utilitatem pertinentibus con-  
sultant, & consilium prudenter inveniunt. Alii summi Exercitus Du-  
ces, qui armis agros defendunt & prolatant, seditionibus intercedunt,  
bella fortiter gerunt, & feliciter finiunt. Sed & qui subiectis jura æqua-

liter, integrè & sine mora reddunt, quiq; religionis, fidei publicæ, honestatis, annonæ, opificiorum, mercaturæ, agriculturæ agunt sedulam curam & circumspetam diligentiam adhibent in singulis: Et qui scum pro utilitate communi & absq; singulorum injuriis locupletant; onera populi, vestigalia, tributa, interuentu aliorum commodorum pensant; rei nummaria tractandæ quæstorumq; rationibus incumbunt, & carent, ne Princeps sumptuum gravitate redditus anteeat, aut ære alieno oneretur, necessariò circa principem agunt, partemq; curarum principalium in se suscipiunt. Hi singuli utuntur Secretariorum & Scribarum adminiculo, qui à Principe delecti ad epistolas recte riteq; scriptitandas, acta componenda, arcana notarū involucris callide regenda, & prudenter retengenda. Atq; his omnibus in Principis aulâ suus & quasi ordinarius locus est, & propterea perpetuo etiam certoq; stipēdio fruūtur. Sed his ipsis sive utilitatē sive necessitatē spectes, pares videntur Legati, qui Principis autoritatem peregrè secum ferunt, in potentissimorum populorum oculis versantur, fœdera, amicitias, belli pacisq; commercia ineunt, qvanquam neq; semper ad eosdem nec perpetuò ijdem adhiberi sverint, sed prout res tempusque exegerit, constituantur & ablegentur. De quibus eorumque officio theses quasdam pro ingeniali tenuitate conscribere, & placidæ ventilationi subjiceret apud animum proposui. Cum autem omnia prospera eveniant contentibus Deos, adversaspernentibus Liv. 5. 11. ideo regnatorem omnium Dcum, Tac. de mor. Ger. 39 summum illud & aeternum, neg<sub>3</sub> mutabile, neg<sub>3</sub> interitum Tac. Hist. 5. c. 5. quoq; solis Christianis noscitur ac colitur nomine, trinum numen calidis veneror precibus, ut sua divina clementia mihi velit adfistere, quo omnia vergant in suam gloriam, Patriæ salutem, Proximiq; utilitatem.

I.

Legatus (a) est mandatarius ab eo qui jus legandi habet (b) publico negotio in Commodum Reip. non militari manu, sed eloquio confiendo (c) ad parem solenniter missus. (d)

(a) Legatus si etymon spectes, propriè & immediate dicitur à legando, id est mittendo. Aliis quibusdam sed forsitan mediatè dictus videtur à legendo adducentibus Varro. 4. de lingua lat. cum inquit:

quit: Legati sunt qui publicè lecti, quorum opera consilioe litteretur  
publicè magistratus, quique nuncii Senatus aut populi essent. Quo tam  
enim ipso loco non determinat, sorte ne an suffragio legi debeant, cum  
utrumque Romanis usitatum fuerit. De hoc dubium non est. De illo  
testatur Cic. l. i. ad Att. ep. 18. Tac. l. 4 A. c. 7 seq. De utroque Dio l. 59.  
p. m. 657. f. Interim certum est, quod sorti, cum optimum quemque e-  
lectio inveniat, Tac. Hist. l. c. 16. hoc loco hodiè non temere sit locus,  
nisi eo casu ubi errare non potest, sed quocunq; cadat, in optimum  
quemq; cadit, Carol. Paschal. c. 1. de legat. Quam electionem omni  
ævo usitatam in gravioribus quibusq; negotiis exemplis demonstrat Pa-  
schal. d. l. junge Frid. Marselaer l. 1. dis. 5. Cæterum cum ambiguitas in  
omni re errorum mater proclametur à Scal. Exerc. 148. sect. 4. Notandum  
est, legatum diversimodè accipi. Nam ut præterea illam generalis-  
simam acceptancem, qvâ legatus etiam pro qvolibet Nuncio usurpari  
potest, qvo se asu & Paulus se legatum Dei asserit 2. Cor. 15. 20. Eph. 6. 20.  
ut silentio involvam illum antiquæ reip. morem, quo sæpè principes  
in civitate viri declinandæ invidiæ, P. Cornel. Lentulus & P. Scipio  
Nasica apud Val. Max. l. 5. cap. 3. ex. 2. periculi subterfugien-  
di, ut Cicero Philip. l. f. 6. ignominiae velandæ, ut Tiberius apud Sve-  
ton. in Vitâ ejus c. 10. aut expediundæ privatæ rei causa titulo le-  
gatorum peregrè abibant, qvad jus legationis liberè vocabatur, eratq;  
nil aliud quam publica commendatio peregrinantium ad civitates re-  
gesve socios: Legatus dicebatur in bello, penes qvem Imperatore ab-  
fente arbitrium gerendæ rei & administrandi belli erat, qvive modo à  
Senatu populo ve adjungebatur, modo sponte imperatoris sumebatur.  
Tales erant Timotheus & Iphicrates Mnestheo adjuncti ap. Corn. Ne-  
pot. XIII. c. 3. d. 2. Sic Scipio Africanus in bello adversus Antiochum  
fratri se legatum fore professus est ap. Liv. l. 37. c. 1. & Pompejus in-  
bello Piratico complures legatos habuit ap. Dion. l. 36. p. m. 18. Pacato  
etiam Proconsulū imperio Legati adjungebantur, eorum vicarii,  
qvo pertinet ille Pandectarum titulus de officio proconsulis & legatinec  
non l. un. C. eod. item l. penult. D. de offic. ejus cui mandata est jurisdictio.  
Sed & Rep. Romanâ in unius potestatem & arbitrium redactâ legati  
Cæsarum dicebantur, qvos in suas provincias Cæsares mittebant Scil.  
ex instituto Augusti, qvi primus provincias cum Senatu & populo par-  
titus est [ vid. Dio Cæs. l. 53. p. m. 503. & Strabo l. 17. Extremo ] qvædā

à Senatu, quædam a Cæsare Rectores accipiebant, & his legatorum  
accessit nomen, quos etiā Correctores & Præsides provinciarum vocat  
*I. 20. D. de offic. Præsidis.* Hoc est quod parum ab exitio legati absuisse  
tumultuantes in Pannoniâ legiones auctor est *Tacit. l. 1. A.c. 23* ut aliorū  
bonorum scriptorum innumera loca præterea Deniq; iis etiam  
quædam ut prioribus in propriè legatorum tributum est nomen, quib;  
à civitate vel provinciâ ad principē mittuntur, ab inferiore ad superio-  
rem, quos municipales possis appellare cum *Ulpian. l. 1. D. de legationi-  
bus.* quarum legationum argumenta quæ fuerint, ex plerisque d. D.  
*C. t. ll.* videre est. Hos deputatos vocari usus hodiernus obtinuit,  
ut qui à superiore ad inferiorem destinantur, commissarios vocare  
moris est. Legati nomen quandoq; involantetiam ii, quos vulgo a-  
gentes vocant, qui vel ab inferioris conditionis Principibus ad ma-  
iores, vel ab æqualibus minore cum strepitu ad res levioris momenti  
expediendas, aut aliis occultioribus ex causis mittuntur aut etiam le-  
gatis quasi succenturiantur. In quo ipso genere censeri quoq; merentur  
nuncii privatae ut plurimum rei gratiâ missi. Atq; hæc de ὄφεων πολιά vo-  
cis sufficient. Paucis etiam συνώνυμα evolvamus Namque functionem  
utilissimam non uno nomine expressere quâ prisca, quâ recentiores.  
Dicitur autem Legatus quoq; *I. Orator ab oratione,* (Virg. Æneid. II. v.  
100. Jamq; oratores aderant &c.) quæ est acerrimum telum legationis,  
quo munere olim tantum disertissimi oratores fungebantur. *Paschal.*  
*c. 2. Marselaër l. 1. diff. 2.* Et hinc etiam pro iisdem habet oratores & Le-  
gatos Ulpian. *I. 7. D. ad L. Jul. de vi publ.* Nam Legati non tantum sunt  
Paci bellique denunciatores, sed quoque partium miserrimè dissentientium  
interdum felicissimi conciliatores. *Myler. de Imp. Stat. Jur.*  
*c. 19. 2. Nuncius & Minister.* *Cic. I. Tuscul.* sed ut jam dictum, id nimis  
generale vocabulum est. *3. Interpres.* Idem Cic. in Ep. 9 ad Brutum,  
*4. Responsales c. Salonitanæ 24. dist. 6;* *5. Ambassatori ex Gallico Am-*  
*bassadeur:* quam quidam vocem origine Græcam faciunt (nec enim  
paucas ejusmodi habet lingua Gallica teste H. Steph. in append.  
Gramm. lxx Gallicæ) & descendere ab *αὐτοῦ διζεῖν* volunt, quod est  
adscendere. *6. Olim qui ad pacem petendam ibant, potissimum Caducea-*  
*tores à Caduceo, quo nomine Antiquitas baculum Mercurii indigita-*  
*vit, qui esset nivibus concolor, mediocris longitudinis, cui lubricis*  
*amplexibus superne inhærent angues duo minimè cristati, mas &*  
*fœmina in speciem literæ φ, posteaque additum cornu Amaltheæ u-*  
*tria-*

et inque surgens, queis quid signetur, tum aliunde tum ex Marselaer dif-  
sci potest. i. diff. 2. *Feciales* sapienter autem ad indicendum mittebantur bellum.  
His hodiè *Tubicines*, *Ænatores*, *Tympanistas*, *Tabellarios* aliosque  
militares Nuncios & præcipue *Heroldos* seu armorum reges compa-  
rat *Pascal.* c. 5. & *Marselaer* diff. 2. 7. *Lenones* etiā dictos legatos testimo-  
nio *Justini* probatur, l. 2. c. 3. §. 8. Addente *Berneggero*, non mirum esse  
istos flagitii ministros de re honesta usurpari, pro mediatoribus, ut vet.  
Gloss. habet, cum *conciliatoris* vox honesta successu temporis ad hoc  
turpe ministerium sit traducta. Elogia quædam legatorum seu *Caduce-*  
*atorum* id est sancienda pacis missorum gratia, summatis complexus  
est *Marselaer* l. 2. veteris Poetæ verbis:

*Vox Regum, lingua salutis,*  
*Fæderis orator, pacis via, terminus iræ,*  
*Semen amicitiae, belli fuga, litibus hostis.*

(b) Hoc jus tantum habent ii. qui summam in Rep. Potestatem & iura  
majestatis habent *Besold. Pol. lib. 1. c. 8. §. 1. n. 4.* Imperator & omnes Re-  
ges superiorem non recognoscentes utpote Gallus, Hispanus, Polonus,  
Danus, Svecus; item baibari, inter quos Turca est supremus. Præterea  
Liberæ Republicæ; Veneti, Genuenses, Lucenses, & qui j. go excuso  
Imperio Romano se subduxerunt, & hodiè se partim pactionibus,  
partim præscriptione; partim donationibus muniunt, quos inter sunt  
*Helvetii*, quorum civitates complures numerantur, quædam reforma-  
tæ, aliæ catholicæ religioni addictæ, qui tantum comiter Imperii maje-  
statem agnoscunt & venerantur, Vid. *Reinking.* l. 1 cl 2 c. 9. n. 92. in  
eius tesseram Privilegiis imperialibus inhærent, unde etiam in novis.  
fima Monasterensi & Osnabrugensi Diæta privilegiorum suorum con-  
firmationem obtinuerunt, ut patet ex *Instit. S. 6. Status fæderati Bel-*  
*gici*, quorum septem sunt Provinciæ; Geldria, Hollandia, Ultrajectum,  
Selania, Frisia, Transsalania & Groninga. Quæ Ultrajecti An-  
no 1579. die 23. Jan. amore libertatis & religionis unionem consti-  
tuerunt. Rhæti die Bündner/qui dividuntur in 3. Bünd/1. der Ober oder  
Grave Bünd von 19. gemeinen / 2. der Gottes Haus bünd von 21. Ge-  
meinden / 3. die 10. Gerichte Sprenger. in *Synops. jur. publ. c. 4. p. 126.* Pe-  
culiare est, quod Imperii status hoc jus habeant ab antiquo, ut ratione  
territorii liberè legatos cum intra tum extra Imperium mittere & reci-  
pere possint. *Myler. de stat. Imp. jur. c. 19. Reinking.* l. 1 cl 5. c. 6. n. 50. Un-  
de illud, quod quilibet Imperii status in suo territorio tantum possit,

quam

quantum Imperator in universo Imperio, quod tamen omnino non ad reservata sed tantum jura communicata extendendum, Gail. l. 1. de pace publica c. 6. n. 10. seqq. adde Reinking. l. 1. cl. 5. c. 6. alias etiam quilibet Imperii status posset Reges creare, uti Henricus IV. An. 1086. Udaldislaus regem Bohemiæ, Otto III. Boleslaum Poloniæ Ducem, Fride-  
ricus I. Petrum Daniæ Regem in id fastigium evexit, Spreng. in *Synops.*  
*Jur. publ.* c. 3. p. 47. Conf. Limn. de J.P. L. 2. c. 9. §. 17. seqq. quod sane ab-  
surdum. Tale jus quoque de liberis Imperii Civitatibus affirmandum,  
hæ enim quoque, jura Principum habent. Gail. l. 2. Obs. 57. n. 7. & l. 1. c.  
6. n. 11. de P. P. Reinking. l. 1. cl. 4. c. 20. n. 12. Item Civitates Hanseaticæ ab  
antiquo Hansi, sive an der See (cum pleræque sint maritimæ) dictæ, ha-  
bent potestatem pangendi fœdera. Arum. in disc. 6. ad A. B. c. 14. tb. 9.  
Quarum Civitatum 66. enumerantur ab Hagen in *jurispr. publ.* l. 1. c. 4.  
testè Spregero in *Syn. p. 117.* Dividunturq; in 4. membra Lubecense con-  
tinens civitates Pomeranicas & 6. Vandalicas. 2. Colonienſe, comple-  
tens civitates Cliviæ, Marchiæ, Thuringiæ, Geldriæ & aliquot West-  
phaliæ 3. Brunopicense, cui annumerantur multæ civitates Saxonie &  
Westphaliæ, item Magdeburgum, Goslaria, Brema, Hildesheim, Min-  
da & aliæ. 4. Gedanense quo pertinent Civitates Borussiacæ, & tres Li-  
voniae, sc. Riga, Dorpatum, & Revalia. Spreger. c. 3. p. 127. Nec non  
Libera nobilitas Dte freye Ritterschaffi/ in tres classes distincta Svevi-  
cam, Franconicam & Rhenanam, quibus non ut singulis, sed ut univer-  
sis competere experientia quotidiana contestatur. Kirchner. de legat 1:  
c. 3. n. 56. Myler. de stat. Imp. jur. c. 19. p. 190. Sic in nuperima Monasteri-  
ensi Diæta ab his legatus missus Wolfgangus à Gemmingen, 30000 fl.  
ad satisfactionem militiae Svedicæ cum protestatione liberæ oblatio-  
nis attulit Brachelius in Hist. l. 8. in fine Repartitionis. Hi enim Nobili-  
les eximiis privilegiis decorati sunt præ aliis, qvamvis statibus Imperii  
non annumerentur, Reinking. l. 1. cl. 5. c. 10. n. 6. Myler. de stat. imp. jur. c.  
11. Nam neque in matricula inveniuntur, neque jus comitorum ha-  
bent. Reinking. d. l. sine quibus Imperii status nemo est. R. A. zu Aug-  
spurg de Anno 1548. S. Wann auch ein ausgetogener Gail. l. 1. obs. 21. n. 9.  
Habuerunt qvidem sessionem & votum, proem. Aur. Bul. sed volun-  
tariè se exemerunt, ut exinde onerum mitigationem consequerentur,  
Wurms. in exercit. acad. exerc. 1. qu. 17. Besold. l. 1. Pol. c. 9. §. 4. n. 17. Spren-  
ger. cap. 15.

(c) Hic est finis generalis, specialis vero potest esse multiplex v.g.  
Pacit

Pacis constitutio, belli indicatio, fœderis sanctio, pactorum conservatio,  
auxilii latio, Amicitiae junctio & retentio, gaudii vel doloris significa-  
tio. (a) Ut erant enim non tantum apud priscos Legati variis sole-  
nibus, utpote verbena, sagminibus, silicibus, filo lanæ, sacra stola, cadu-  
ceo, ramo oleæ, velamentis & aliis quæ propria erant facialium *Chris-  
toph. Bruno l.3. de leg. c. 13 Alberic. Gent. l.1. c. 12. seqq.* sed hodiè qvam-  
vis non adeò multa adhibentur, puta quod principis sui insignia præ-  
ferant ut plurimum, in vestibus, alioqve genere ornatus : quod pa-  
trium vestitum strictè retinent &c. Quæ tamen omnia magis ad acci-  
dentalē qvam essentialē legationis formam pertinent, cujus sole-  
nitates proximè consistunt in literis mandati, instructionis, commen-  
dationis, fidei seu ut vulgo loqui amant, credentia.

II.

Legatus dividi potest in Togatum, (a) qui tempore  
pacis, & Sagatum (b) qui tempore belli legati-  
one fungitur.

(a) Togatus mittitur vel negotii vel honoris gratia. *Negotio* legatio generaliter omnes actiones comprehendit, quas publicæ rei causa Legati perficiunt, quarum catalogum recenset Kirchner. *de Legat. l.1. c.2.* Hic qui negotii ergo mittitur est vel *temporaneus*, qui ad certum tempus negotiumq; adstrictus est, quo expedito quoq; cessat legatio; vel *perpetuus*, & nullum speciale mandatum habet, sed omnia rectè administrare & observare, observataq; Principi referre tenetur, quem vulgo ordinariū Ambassadorē, aut si sit summi alicujus principis, ex consuetudine Oratorem dicunt, si minori cum solēnitate externâ & pompâ missus, Agentis quandoq; & Residentis nomē tantum sortitur, & minus propriè huc pertinet. *Honoraria* est quæ fit gratulationis cau- sa, vel ob res benè gestas, imperium suscepimus, & id genns alia. *Besold. l.2. c 8. §.1. n.3.* (b) Sagatus propriè *Facialis* à fide & faciendo dictus. Hic ad res armis ablatas repetendas mittebatur, quod si id non conseque- batur, bella indicebat & finito bello fœdera pangebat. Horum colle- giū personas numero 20. complectebatur, & maximus ipsorum appellabatur Paterpatratus, tantæ homo sanctitatis, ut sæpè Deposita- riū fieret earum fœminarum, quibus hostica manus pepercera, quæ- que aliâs ut formâ præcellentes seponebantur, item si qva deditio aut

B. 1. 1. 1. libe-

liberi hominis venditio fieret, hujus manu siebat. Alter dicebatur Verbenarius, qui quoties facialis mittebantur ad hostes clarigatum, id est, res raptas clare repetitum, ferebat privos lapides silices, privasq; verbenas & sagmina à Prætore accepta Vid. Dionys. Halicarn. l. 2. c. 73. Paſchal. c. 3. & quos ille citat. Et sic ratione rei seu negotii, cuius expediundi gratiā mittuntur, possunt distingvilegati.

Ratione mittentium sunt vel Ecclesiastici vel Politici: prout nempe qui eos mittunt vel Clerici sunt vel Laici. Et Pontifex præcipue Romanus ut Cleri Pontificii supremum caput triplicis generis legatos habet. Sunt enim vel legati à latere, cujusmodi legationes non aliis quam Cardinalibus dantur ad maximos Orbis Monarchas ad res arduas expediendas missis. Vel Nunciū Apostolici, qui plerumque Episcopi sunt, & itidem ad principes destinantur, ut plurimum rebus non ita gravibus conficiundis adhibiti, qualis Nuncio Apostolicus erat Carolus Caraffa, Episcopus Aversanus, & in tractatibus pacis Monasteri Osnabrug. Fabius Chisius nunc Alex. VII. P. M. Vel legati nati, quorum scil. dignitas sedi sive Ecclesiæ, cujus præfules sunt, connexa est: sic in Germ. nostrâ ante doctrinæ Evangelicæ resuscitatum lumen Magdeburgensis, nunc vero Salisburgensis Archiepiscopus titulum præfert sedis Apostolicæ legatus natus.

Sed & illi ipsi qui mittuntur, vel sunt officijs Ecclesiasticis prædicti, seu Ecclesiasticae personæ, (uti notum est familiare Hispanis esse, ut Monachos etiam ad legationes obetundas adhibeant Vid. jus int. gent. sect. 4. quest. 2.) vel Politicæ; verum quia selectio personæ à mero mittentis arbitrio dependet, & tam ab Ecclesiastico Laicus, quam à seculari Clericus mitti potest, illud discriben hic præterimus.

### III.

#### Causa efficiens est jus gentium. (a)

(a) Jus legationis à jure gentium voluntario ortum traxisse testatur Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 18. Passim n. legere est sacra legatum, sanctimoniam Legatorum, jus gentium illis debitum, adeò, uti Cicero inquit Verrina III. s. 185. Legatorū jus divino humanoq; vallatū præsidio, cuius tam sanctum & venerabile nomen esse debet, ut non modo intersociorum jura, sed & hostium tela incolume versetur. Etenim cum utile sit Hominibus non immortales esse Inimicitias, ideo inviolabiles quoq; esse oportet, per quos de fœdere & Amicitia tractatur. Reusn. in

in hortulo florum coron. iii. flor. 12. Qvapropter L. Myrtillus, L. Minutius & Manlius, quod Legatos Carthaginem pulsasse dicebantur, jussu Q. Terentii Prætoris urbani per fœciales traditi sunt Legatis & Carthaginem advecti. Valer. Max. l. 6. c. 6. n. 3. Et David Rex ignominiam ab Hanone Ammonitarum Rege, legatis suis illatam, judicavit atrocissimam, & bello vindicandam justissimo. 2. Samuel. 10. Eadem ratione cum Romanorum Legatos Corinthii injuriosius appellassent, eo nomine Corinthus à L. Mummo Achaico solo æquata est, & reliquus usq; ad Macedoniam tractus sub Romanorum cōcessit imperium. Flor. l. 2. c. 16. Justin. l. 34. c. 1. Qvod idem antea & Tarentini fecerant, ap. Flor. l. 1. c. 18. similemque sibi attraxerant cladem, legatione etiam per fœdam dictu contumeliam violatā. Duo autem de legatis ad jus gentium referuntur, prius ut admittantur, & postea ne violentur. Grot. de J. P. & P. l. 2 c. 18. n. 3. Admissionem jure gentium concedendam esse testis est Livius l. 21. c. 10. ubi Hanno Senator Carthaginensis in Annibalem sic invehitur: *Legatos ab sociis & pro sociis venientes, bonus noster Imperator in castri non admissit, jus gentium sustulit.* Quod tamen de omnibus simpliciter non intelligendum. Nam ubi caussa mittendia aut suspecta est, uti Rabsacis Assyrii Legatio ad populum concitandum merito suspecta erat Hiskiae. 2. Reg. 18. 17. aut non ex dignitate aut temporibus conveniens, tunc optimo jure rejici possunt, siquidem jus gentium non præcipit omnes admitti, sed vetat sine caussa rejici. Grot. d. l. Deinde de eorum violatione & quatenus se extendat dispiciendum. Neminem arbitror latere legationis jus tam circa legatum quam ejus comites usq; adeo sanctum semper habitum fuisse, ut res in proverbium abierit: *Legatus nego verberibus nego contumeliis afficitur.* Nec ulla Natio fuit tam barbara, cui Cadaceum non fuerit sanctum Procop. lib. 3 de bell. Goth. Qua de caussa olim legatis contra jus gentium occisis statuæ ponabantur, nimirum ut qui ob Republicā mortem oppetiissent his pro brevi vita æterna memoria redderetur. Cic. Philip. 9 sub init. Schönborn. l. 3. Pol. c. 31. n. 5. ut hujusmodi honore animati homines in periculis belli legationibus munus alacrius obirent. Quo spectabat Democriti Abderitæ responsio; is cum ad Philippum Macedonem Legatus mitteretur, libereque loqueretur, interrogante Philippo, num metueret, ne sibi caput jubeat amputari? minimè respondit, nam si hoc mihi abstuleris, Patria ipsa mihi immortale pro hoc reponet. Reusn. Cor. 3. flor. 9. ex

Maxim. serm. 31. Philippi tamen etatem Democritus non attigit nisi  
oppido senex, (vixit quippe annos 109.) & quā Philippus imperare  
coepit Olympiade, scil. CV. ejus postremo anno ipse obiit juxta Calvis.  
in ann. mundi 3590. Et Petav. in Rationar. temp. p. 1. l. 3. c. 8. Nec solum  
jus gentium Corpora Legatorum sancta esse constituit, sed & civile bo-  
na eorum sarta testa tuetur, & ut illud arcet injurias & contumelias, ita  
hoc damna & lucra ablata resarcit, neque cuiquam vult absenti-  
am suam Reip. causa esse damnosam. Quo de tractant Jdti in lib. 50. D.  
tit. 7. ubi tamen pleraque leges de legatis, quos thesi i. municipales  
posse appellari diximus, agunt. Verum ne inde nascatur injuriarum  
occasio, Legatique sibi blandiantur, tot Privegiis muniti, impune sibi  
in publicam perniciem necemq; Principis, apud quem agunt, grassari  
licere existimantes, audiendus est Theodatus apud Procop. lib. 1 bell.  
Goth. & 5. ad Justiniani Legatos in hanc sententiam loquens: *Magna*  
quidem & *inclita* est Legatorum Authoritas apud omnes mortales; verum  
hic praerogativa tamdiu fruuntur, quoad jus legationis honestatemq; ser-  
varint. Cæterum si sacro legationis officio ad turpissimum proditio-  
nis, defectionis, seditionisve ministerium abutantur, & sub hac specie  
omni modo Majestatem Principis ad quem missi, lædant, interficiant,  
statum & Imperium turbent ac hostiliter evertent, constanter  
affirmamus Legatum sine juris gentium transgressione licenter capi ac  
detineri, nec non causa cognita & legitimo judiciorum tramite obser-  
vato convictum, condemnari posse. Hanc sententiam jus gentium  
approbare demonstrandum. Praeprimis autem considerandum, Jusgen-  
tium reciprocum esse, & tam violari a legatis, quam in legatis. Hoe  
fit, cum vel ejus a quo mittuntur, vel sui odio vel contemptu, immoriti  
& innoxii, solo ministerio occupati trucidantur publica privatave li-  
bidine, membris mutilantur, retinentur, in vincula conjiciuntur, ver-  
beribus contumeliisque afficiuntur, vel admissi non audiuntur, vel au-  
diti sine responso ignominiosè dimittuntur, & aliis ex pluribus causis.  
Sic Rex Ammonitatum 2. Samuel. 10. per contemptum Legatis Davi-  
dis condolentiæ ergo missis dimidiū barbae abrasit & vestes decurtavit.  
Illud vero evenit si Thrasonicè & contumeliosè edant mādata, aliisq;  
injuriis Principē afficiant, & supra enumerata piacula in effectum pro-  
ducant; quemadmodum Phileas Tarentinus dum Romæ legationem  
obiret, ad obsides Tarentinos aditum sibi invenit, eosque, crebris col-  
loquiis sollicitatos, corruptis duobus Ædituis, eduxit custodia & comes  
itino-

itin eris factus cum illis profugit. *Liv. l. 25. c. 7.* Sic quoque ius gentium  
a Legatis laeditur, quando Philippus Macedo Atheniensium Legatos in-  
terrogat: *Dicere mihi facere quid possum, quod sit Atheniensibus gratum,*  
& Demochares respondet; *te suspendere.* *Senec. libr. 3. de in cap 23.*  
Si itaq; Legatus prius violat jus gentium indignus est, ut ei servetur juris  
gentium fides. *Besold. l. 2 Pol. c. 8 § 2n. 15.* Prætereà cum jus gentium  
natura matre & necessitate magistra ortum sit, necesse est naturalis æ-  
quitas utrinq; recurrat, & ut Legatorū securitati, ita vicissim Principis,  
ad quem missus Legatus, consulat indemnitat, ne jus unius fiat injuria  
alterius. Deniq; jus gentium non ita loquitur: Si quis legatū Hostium  
delinquentem retinuerit, comprehendenter, puniverit, sed ita; si quis le-  
gatum hostium pulsasset, si contra jus & fas occidisset; si injuriis dam-  
nisve legatum affecisset, si legatum violasset, laſisset etc. ideo legatus  
delinquens justè punitur, non injustè violatur. Adhac si Privilegia Le-  
gatorum eo usq; extendenda, ut scelera eorū sacro sancta censi debent,  
necesse erit, omnem societatem politicam brevi corruere, & sursū  
deorsum omnia jactari, dum nihil in ea tutū reliquitur, sed cuncta ho-  
stilibus insidiis, exterorum rapinis, ac peregrinis fraudibus patent; imò  
ipsa legationis libertas tollitur, & ut penitus non admittantur optimū,  
cum ab eorum sceleribus non aliter tuti simus, quam si ipsis aditus ad  
nos denegetur. Apud Pontificios Clerici, si à simili argumentari liceat,  
divino & humano jure sunt sacrosancti æquè ut legati, adeo ut hos  
impiè laedens incidat in canonem c. *cum non ab homine X. de sent. ex-*  
*commun.* Sed tamdiu gaudent Privilegiis, quam diu servant ea quæ sunt  
suæ Professionis: c. *Abbat. 25 X. de V S.* & frustra implorant Ecclesiæ  
auxilium, qui committunt in ipsam c. *in audience 25 X. de sentent. excō.*  
Postremò si ab eo, qui mittit, Legatus sciens ad laedendum venit, tunc  
non legatus est sed Sicarius, & cum mittens prius fidem fregerit, neq; ei  
fides servanda, Ex his ( quamvis plures adduci possent rationes ) addu-  
ctis, facile concludendum legatū in supra dictis sceleribus & similibus  
justè puniri, ab ejus Principis Magistratu, cuius Majestatem Imperiūve  
laesit. *Besold. Pol. l. 26. 8 § 2n. 15.* Conf. libell. cui tit. *qvestio vetus &*  
*nova, utrum legatus etc.* quamvis etiam Princeps sivult, sic manifestè cō-  
vici legati Dominum possit consulere, ne si quid gravius eo inscio-  
statuatur majorum Turbarum occasio nascatur, aut eum sub custo-  
diā ad Dominum factum Legati improbantem transmittere. Lieben-  
thal.

thal. in Col. Pol. Ex. 11 qu. 10. Dedit hoc seculum hujus rei non unum exemplum. Nam legati Hispanici Secretarius Massiliæ proditionem in Gallia molitus, frustra invocatis Legatorum privilegiis in custodiam datus fuit, quanquam examinata causa postea dimissus, ubi digna est quæ videatur legati Hispanici Balthasar de Cuniga cum Rege Galliæ Henrico IV. concertatio apud Metteran. l. 25. hist. Belg. tom. 2. p. m. 328. Lundorpium Sleidani continuat l. 11 p. 639. Et Lusitani legati frater in comitatu ejus existens ob cædem nobilis Angli consulto patratam capite pœnas dedit pronuper admodum, judicio ex sex indigenis totidemq; exteris constituto. Præterea obiter queritur, an proscripti Imperii status, qui pro Rebellibus à quibusdam habentur, Legatos mittere possint? quamvis pleriq; hoc negent, cum delictis jura non acquirantur, tamen ne via reconciliationis & excusationis, statibus ab Imperatore dissentientibus admatur, eorum Deputatos, maximè si de innocentia sua docere velint, non repellendos esse statuendum videtur cum Mytero de stat. Imp. jur. c. 19.

IV.

Requisita Legati consistunt tam in bonis Animi,  
quam corporis & fortunæ.

V.

Bona Animi sunt Fides, (a) Eruditio, (b) Prudentia, (c)  
Eloquentia. (d) Corporis, ut sit specie præstans  
firmusque corpore, nec monstruosus. (e) Fortu-  
næ, ut sit non planè plebejus (f) opulentus  
quantum satis est, (g) & felix. (h)

(a) Hæc virtus tam in legatis, quam reliquis consiliariis maximè necessaria, unde Prov. 13. v. 17. & 25. v. 13. Legatus fidelis est salutaris, & iterum; Quale nivis frigus horæ messis, talis est fidus Nuncius ei, à quo missus, adeo Domini sui animum reficit. Nam si fidi, etiam probi sunt, cum optimus quisque fidelissimus putandus. Tac. Agric. cap. 19. Conf. Marcelli l. 1. diff. 41. Proditores autem etiam ijs, quos anteponunt, invisi sunt. Tac. an. 1. c. 58. & prodituri non proditores amantur, ut dicebat Philip-

Philipus Mace do apud Stob. serm. 52. cit. Lips. l. 4. Pol. c. 10 n 72. nec  
tantum odio prosequendi, sed & graviter puniendi, quia nulla potest  
esse in tanti sceleris immanitate punienda crudelitas. Cic. 4. in Catil. c.  
6. (b) Neque in Legato neque in Principe requiri mus totum doctrinæ  
& eruditionis orbem, siquidem non qui multa scit, sed qui fructuosa  
sapit. Lips. l. c. 10. n. 14. & non paranda nobis solum, sed & fruenda  
sapientia est. Cic. l. i. de fin. c. 3. Legatus non imitari deber Julianum De-  
sertorem, alias magnum Imperatorem, qui malè audivit, qvod tan-  
quam Græculus literio & studiis nimium fuerit deditus. Nec Ludovi-  
cum XI. qvi Carolum IIX. filium suum omnis doctrinæ rudem mane-  
re studiose curavit, ne esset, ut ajebat, in consiliis capiendis præfractior &  
renacior sui sensus; qvod ipsum magno cum Subditorum damno con-  
secutus est. Lips. l. i. c. 10. n. 14. & 15. in not. Fœminam fortasse imitatus  
Agrippinam, quæ Neronem suum à Philosophiâ arcuit, imperanti  
contrariam dictitans. Svet. in Ner. c. 52. Imprimis autem Jurispruden-  
tiæ, Politicæ & Ethicæ cognitionem habeat; Historiarum scientia  
maxime polleat; nam semper optimi fuerunt consiliarij mortui; Lips.  
l. i. Pol. c. 9. n. 12. & qui de futuris vult dispicere, præterita debet in-  
tueri, cum quæ futurâ sint, plerumq; paria similiaq; sint iis, quæ jam  
facta sunt, & ex præteritis futurâ judicemus. Lingvarum copiam pos-  
sideat; necesse enim est habeat lingvæ illius populi ad quæ missus noti-  
tiâ Kirchn. de legat. l. i. c. 4. n. 25. siquidem surdi omnes sumus in linguis  
quas non intelligimus, Cic. l. 5. Tusc. jungatur Marsil. l. i. de leg. dis. 24.  
& 27. Et qualia incommoda ex interpretibus provenerint, vid. apud  
Alb. Gent. l. 3. de legat. cap. 7 (c) Prudentia maximè sit instruetus, quam  
usus efficacissimus omnium rerum Magister. Plin. l. 25. c. 2. & memoria  
rerum, id est, Historia, lux veritatis, vita Magistra. Cic. l. 2. de orat. cap. 9.  
procreat. Lips. l. i. c. 8. & 9. Hæc præsentia ordinat, futurâ provideret,  
præterita recordatur, honesta à deterioribus, utilia à noxiis discernit.  
Econtra Imprudentia cœca pleraque, & se præcipitat. Sall. ad  
Cæs. orat. 1. sub fin. Probè itaque norit prudens Legatus, officii  
sui esse, non nisi jussum, adesse; non nisi pro re & occasione verba fa-  
cere; non nisi de re & materia, tempori, loco & personæ suæ accom-  
modata, in publico perorare: non nisi acceptis responsis, quæ patien-  
ter ipsi audienda sunt, pauca loqui: nec denique maturam tantum,  
sed & honorificam dimissionem expetere. Reusn. in hortulo florum Co-

ron. 3.



ron. 3. flor. 7. Judge iterum Marsel. l. 1. diss. 29. monstraturum ad quid  
speciatim attendere prudentem legatum oporteat. (d) Civilis enim  
Prudentia sine eloquentia recte stare nequit, ideo Legatus jure irride-  
tur qui Patrono eget, & Orator elingvis est. Epaminondam imitetur  
necessè est, si consequi vult eloquentia quod Epaminondas, de quo  
ita inquit Cornelius Nepos, & ex eo Paschal. de legat. c. 15. Epaminonde  
Eloquentia eluxit Spartæ. Quo cum omnium Sociorum venissent legati, co-  
ram frequentissimo Legatorum conventu sic Lacedæmoniorum tyrannidem  
cearguit, ut non minus illa oratione opes eorum concusserit, quam Leuctrica  
pugna. Hujus eloquentiam si assequi non potest, sufficit etiam ea  
quam Philosophorum esse Cic. de orat. scribit; castam, verecundam,  
virginem, incorruptam quodammodo, & sermonem potius quam o-  
rationem. Alber. Gent. l. 3 de legat. 6. (e) ut bona Animæ, ita quoq;  
bona corporis habeat Legatus, Nam etsi in deformi quoq; humiliq;  
corpusculo habitare potest formosus animus & magnus, Senec. e-  
pist. 66 tamen plerisq; gentium, non tantum barbaris multa in maje-  
estate corporum veneratio est, magnorumq; operum non alios capaces  
putant quam quos eximia præ cæteris specie natura beavit. juxta Curt.  
l. 6 c. 5. § 29. in qvem locum Freinsh. confer. Et sane ut principem in-  
contemptum adducit forma despabilis, irrisuiq; ac fastidio exponit  
apud vulgus præcipue solitum Imperatores formam ac decore corporis  
æstimare, Tac. I. H. c. 7. §. 5 ita idem facilè contingit legato. Quare  
minimè ablegandi Cyclopes aut Polyphemi; ne Aratorum potius,  
quam Oratorum vicem præstent: nec monstrosi, qui ludibrio & injuriæ  
à natura nati videntur. Notum est in legationem Bithynicam Catonis  
scomma: cum enim legatorum unus cicatricosæ capitis vertigine,  
podagrâ alter, tertius laboraret vecordia; Egregiam verò, inquit P. R.,  
legationem qvæ neq; caput neq; pedes neq; cor habet. Vide sis sâpè  
laudatum Marselaer l. 1. diss. 12. (f) Cum à fortunæ quoq; donis in-  
structum velo legatum, eundem non planè plebejum, Hominem sor-  
didum, Cerdonem, Tonsorem, Institutorem esse volo, in quibus ut plu-  
rimum parum industria, auctoritatis nihil, plurimum Avaritiæ. Ideò  
hodiè adhuc à Burgundica domo irridetur Ludovici XI Galliæ Regis  
legatio, quam Olivarius Tonsor ad Mariam tot ditionum hæredem o-  
bivit, qui propter generis obscuritatem & ineptum sermonem, tanto  
cum ludibrio exceptus, ut nisi clam salutem fugâ quæsivisset, in flumen  
fuisset

fuisset abjectus Vid. Cominianum l. 5. c. 15. Addatur Marselaer. l. 1. differt.  
11. Et Reusn. Coron. 3. folio. 7. qui plura enumerat exempla. (g) Inter dona  
fortunæ porrò etiam requiro divitias. Quantumvis enim largiens hæc  
fortuna non est neque gubernatrix neque adjutrix virtuti, eam tamen  
non adsperrnatur ut fautricem, nec abnegat ut comitem. Paschal. c. 16.  
Marselaer l. 1. diff. 14. Erratio subest non una, ut opes suas quasi pigno-  
ri in patriâ relinquat; Ut splendori amplissimi munera domestica  
fortuna respondeat; Ut si quando ærarii penuria aut quæstorum in-  
jurîa tergiversante cursus requisitorum ad legationem sumtuum sus-  
pendatur, possit suis facultatibus ad tempus publicam salutem sustinere,  
ne interrumptur aut turbetur Legationis decorum. Et quæ aliæ pos-  
sunt rationes asserre. (h) Denique & felicitatem posse in legato de-  
siderari dixi. Quam etsi sibi nemo præstat aut præstare potest, nisi qua-  
tenus semita certa Felicis (tranquillæ) per virtutem patet unica vitæ  
Juven. sat. 10. v. 363. attendenda nihilominus est Legatum missuro.  
Sunt enim quidam quartâ Lunâ nati, aut infelicibus ovis editi, quibus  
nihil sub manus succedit, optimè consulta pessimè cadunt, denique  
qui diis adversis fatoque sinistro omnia adgrediantur. In tales si in-  
ciderit legationique eos destinaverit Princeps, vix aliam ab iis speret,  
quam quæ ipsorum quoque res privatas comitatur, adversam fortu-  
nam. Contra ea sunt quidam albæ gallinæ filii, & benefica astrorum  
fatorumq; conspiratione geniti, quibus qvicquid dixerint, consulu-  
erint, egerint, omnia secundo numine ac velut quâdam virtutis ma-  
nu tractasse videntur; etiam cum procul deflexerunt à linea & scopo.  
Vid. Marselaer. l. 1. diff. 42. Et ut Cic. verbis rem enunciem, quibus ad  
amplitudinem & gloriam & ad res magnas bene gerendas divinitus ad-  
uncta fortuna est. Neque enim temerè vel imprudenter aut Cicero in  
Imperatoris bellici dotibus numerabat felicitatem, aut Cæsar Augu-  
stus filiis nepotibusve suis precabatur suam fortunam, nisi esse aliquid  
supra nostras vires consiliaque positum existimasset, quod benè con-  
sulta & accuratè deliberata felicis secundet eventu. Cic. pro lege Manilia  
sect. 47. Eras. in apophth. l. 5. p. m. 396. Tale quid ergo si cujus actiones  
comitetur, jure merito si ipsi adsint requisita cætera aut omnia aut ple-  
raque præferetur in hujus munera functione demandanda.

## C

## VI. Con-

Considerato hactenus Legato, jam consideranda  
venit Legatio ipsa, ejusque Antecedentia,  
Actus & consequentia.

Antecedentia sunt i. Itineris ingressio & confectio,  
(a) 2. Legati admisio & exceptio, (b) 3. ad man-  
datum exponendum accersitio. (c)

(a) Regia ac solita via incedere debet Legatus, non deviis itine-  
ribus, aut latebris; occulte iter ingredi non tantum intutum, sed & san-  
ctissimo legationis munere indignum est. *Pascal. c. 29.* Hinc æquum  
videtur, ut Legatus Dominum territorii itineris sui faciat certiorem.  
Circa familiam suam adeo modestiam colere debet, ut cum Pace ad-  
venire videatur, & cum dignitate incedat, non militares copias turma-  
tim ducat. Nam quisquis ornatus in modum militarem excrescit, &  
arma in aliena ditione protervè monstrat, hujus ferociæ simili paratu  
obviam veniendum, ut si insanire cœperit, & amicitiam verbis præten-  
dere, re inimicitiam colere, quem decipere studuit, hunc ipsum hostem  
non socordem experiatur. *Pascal. d. l.* (b) Admitti legati semper jure  
gentium debent. *Grot. de J.B. & P. l. 2. cap. 18.* licet nonnunquam  
admissi sine audience discedant, dum sc. interdum mandata inhibi-  
toria accipiunt. Sunt autem non tantum admittendi, sed & humanissi-  
me accipiendi, excepti in hospitium ducendi, ex quo in palatia Princi-  
pum, equis & rhedis, ab ipsis missis, evocandi. (c) Deducto ita in  
hospitium nil antiquius Legato habendum, quam ut ocyssimè à Rege  
aut Principe admissionem impetrat, & mandata sua exponere possit.  
Quod si moras nocti animadvertis, quod usu frequentissimum, modestè  
exponendorum mandatorum tempus postulabit; semel concessum  
strictè & accurate observabit. Nolunt enim cogi, sed rogari Principes:  
nec se ludificari patiuntur, si quis concesso tempore abuti velit. Quod si  
Legatū planè aditus maturi spes frustretur, repetitā instantia astutiaq;

ten-



centet, quod diligentia assequi desperat, & stratagematibus utatur, qua  
ratio felicissimo caruere successu. Exemplo sit Franciscus Marchesius  
ICtus à Genuensibus ad Johannen Galeacum Mediolani Duce missus  
legatus, omni audientie spe destitutus, die S. Johannis Galeacio mu-  
nus, basilicæ herbae vas plenum, misit. Dux Oratorem ad missæ herbæ  
caussas explicandas illico accivit, quas ita edisseruit: *Ego, Princeps, Genuensem ad te Om̄itor veni: quorum ingenia basilicæ herbae persimilia sunt; leviter tacta, suavem effundit illa odorem, contrita Scorpiones procreat.* Hoc stratagema adeò Princeps permotus, ut, qui anteà nullis  
flectebatur rationibus, tunc æquos aures in posterum præberet. *Frid. Marselaer lib. 2. diff. 31.* Eodem modo Orator Venetus, ad Turicum  
Imperatorem salutandum missus, cum ipsi omnis aditus præclusus es-  
set, turcicam togam induens, per turbam transiit, & negotium ex voto  
confecit. *Reusn. Cor. 3. flor. 7.*

### VIII.

#### Actus consistit in mandati expositione, (a) & re- sponsi exactione, (b)

(a) Legatus postquam ad Principis conspectum admissus, præ-  
missa salutatione ejus, à quo missa est legatio, itemq; commendatione  
ejus, ad quem directa est, mandata sua sine nimio verborum splendore  
& vaniloquentia, sine vocibus inconsideratis, temerariis & contu-  
meliosis exponere meminerit; Necessaria, non supervacanea, & quæ  
negotii qualitas non exigit, dicat; Non nimis longa instar scholasticæ  
declamationis, nec nimis culta utatur oratione; nec fictis aut nimiis  
encomiis venetur Principis gratiam. Nam Carolus V. post initam cum  
Francisco Galliarum Rege ad Cameracum pacificationem, cuidam  
Legato se in os laudanti, peracta mandatorum expositione  
dixit: *Utinam & nunc laudasses & ante biennium in Anglia vituperasses*  
*meparcius, agrè utroq; caruissim.* Et Carolus Burgundiæ Dux frequen-  
ter in sermonibus usurpavit: *Neḡ laudari acriter, neḡ vituperari vivos*  
*Principes oportere: quod alterum non careat periculo, alterum adu-*  
*latoria artis valde in orte suspicione.* Si duriora in legatione petuntur,  
non minas & expostulationes adhibeat, sed potius non à se sed suo

Principe, ea proficisci ostendat, & oratione sua leniat. *Renf. Coron. §.  
Flor. 7. Marselaer l. 2. diss. 33.* Quia vero lingua in exponendo mandato ut  
debeat, queritur? Resp. vernacula suā. Imitandi Romani, qui tantum  
latina lingua usi sunt. *Pascal. c. 47. per rot. p. m. 293. Marsel. l. 2. c. 34.*  
Dedecori quippe magis, quam splendori conjunctum, peregrina uti  
lingva, sapitq; ejus, cuius lingva utimur, ex subjectione profectam ve-  
nerationem (b) Quemadmodum admissione, sic quoq; dimissione ne  
justo longius frustretur, enixe prospiciat Legatus. Non tamen ut im-  
portunus creditor cum sacco veniat, sed cautē & opportunē occasio-  
nes quasvis captet. Si justo longius dimissionem concessam expectet,  
Principalem suum literis domum missis consulat. Responsum autem,  
si impetratur, sit rei aptum, & sententiae congruum: si ambiguum,  
obscurū, dolosum, nihil responsum existimabit Legatus, idq; animad-  
vertens cautē agat, & ut responsum in chartam scribatur, sibiq; com-  
municetur, curet. vid. lacē *Pascal. c. 82. 83. 84. Marselaer l. 2. diss. 39.*

## IX.

### Consequentia sunt, i. honorifica dimissio (a) 2. Domum redditio, (b) 3 Legationis Re- nuntiatio. (c)

(a) Legatus solenniter exceptus, non sine honorifice comitatu  
& muneribus splendidissimis dimittendus. *Hic queritur an Legatus  
munera accipere debeat?* Dubitari potest, quia Athenienses, Veneti,  
Corinthii sub capitib; multa acceptiōne munera Legatis inter-  
dixerunt, & Dux Moscovitarum Legatis ad se redeuntibus omnia mu-  
nera auffert. *Liebenthal. col. Pol. Exerc. II. qv. II.* Munera enim qui se-  
mel acceperit, & largitionibus est corruptus; non manere potest con-  
stans publicorum commodorum. *Judex. Besold. Pol. l. 2. c. 8. n. 24.*  
Verum cum interdictis munera acceptanceibus, etiam eorundem  
erogatio, & sic præcipuum humanæ societatis vinculum tollatur, ideo  
distingvendum inter ea quæ honoris & benevolentia, & quæ corrup-  
telæ animiq; nundinandi caussa data. Illa licita, hæc minimè, prudens  
sciat Legatus. *Marselaer l. 2. diss. 45.* (b) Legatis domum reversis ad

Princ-

Principales suos patere debet aditus liberrimus, magniq; honores debentur, & præmia. Qvæ qvidem ut ingenio accipientis conformis sint, operam dabit Princeps, vel qui legatum misit. Hinc legatione feliciter expedita qvibusdam honorum augmentum, aliis præfecturæ; nonnullis pecuniaæ qvædam vis supra stipendum collata fuit, cujusmodi exempla non opus est nec charta patitur congerere. Vid. Marselaer l. 2. diff. 48. Videre est etiam plura illis & quasi constituta à Jure Civili Romano esse tributa præmia. Qvæ inter est quod intra bienniū vacationem à civilibus muneribus habent, l. 7. & 8. D. de legat. Qvantquam inibi præcipue de legatione municipali sermo sit. Qvæ singula huc afferre instituti ratio non patitur. Legatis in legatione cæsis, statuæ erigebantur; uti statuas illorum quatuor Legatorum, quos Lartes Tolumnius Vejentium Rex interfecerat, in rostris longo post tempore stetisse docet Cic. Philip 9. Schönborn. l. 3. Polir. c. 31. [c] Legatione peracta, quæ in legatione actitata sunt, fidelissimè renunciet, nihil dissimulet aut celet; Iram & invidiam deponat; si minus honorificè ab eis tractatus fuerit, eorum famæ nihil detrahatur; non sit incendiarius turbarum, nec ignem igni addat; Actitata non cuivis, præter eum à quo missus, patefaciat. Mittens etiam sequi debet consilium Phil. Cominæi [quod adducit Schönborn l. 3 Pol. c. 30.] ut legatos à Legatione reversos separatim audiat, ne si minus iucunda nuncient, pavorem ea res atque metum inferat multitudini. Junge sæpiùs laudatum.

Marselaer l. 2. diff. 46. Hæc pro ratione instituti de Legato  
& Legatione dixisse sufficiat.

### MONITI MELIORA SEQUEMUR.

S. D. G.

Politissimo Domino Respond. Auctori.

**M**ulta Legati tribus explicuisse papyris  
Laboris est & ingenii.  
Utrumq; ostendis, haec chartæ utrumq; loquuntur,  
Perdocte miles Palladis.  
Ingenio pretium ponant, solvantq; labori  
Quæc in manu hoc est, præmium!

Ita Opto

PRÆSES.

**G**enn Spies und Schwert Bellona hingelegt/  
Zeigt Pæan/ stat des lauts der krigisch klinget/  
Was steter Fleiß für schöne Knospen trägt  
Und wie der Zeit für reife Früchte bringet.

Zwar es ist wohl/ wie man gemeinlich sagt/  
Das iedem nicht gegeben sey das sißen:  
Ob sich auch gleich schon mancher immer plagt  
Das ihm vor Müh' der Buckel pflegt zu schwitzen  
Hilfft alles nicht. Und dennoch bleibt dabei  
Das Faulheit nur mus gänzlich niederliegen/  
Dass es umbsonst und nicht zu hoffen sey  
Das Tauben ihr in Rachen werden fliegen.

Was Faulheit sey das weiß Er/Freund/wol nicht  
Weil Er sich nie derselbigen befliessen;  
Er hat stets dehm/dehm Er sich hat verpflichte  
Aus Schuldigkeit in Diensten leben müssen/

Jetzt lohnt Er Ihm: Er nennt ihn seinen Sohn:  
Verspricht zugleich er soll auch einst besitzen  
In dem Parnass/mechst seinem schönen Thron/  
Mit anderen die Kunst - besetzten Spiken:

Er fahre fort/mein Freund/wie wir jetzt sehn  
Und neben uns auch andere noch wissen;  
So weiset Er/dass jeder mus gestehn/  
Dass Er sich nicht auss Läpperey befliessen.

Dieses satze aus höchster Schuldigkeit seinem vielge-  
gehren Freunde zu Ehren hinzu

Christianus Egler.


**W**as dessen Höchste Kunst / auch höchste Thorheit sey/  
durch dehn gekrönte Kopff und grosse Fürsten schliessen/  
was ihrer Cron und Thron/ und dehm/ so ihren Füssen  
die Trew verpfändet/nüxt ; wie Er durch Feinde frey  
Kan reisen hien und her ; wie Klugheit/ Kunst / und Trew/  
Und die Beredsamkeit Ihn einzig ziehren müssen:  
Was vor und nach verhōr Gesandte müssen wissen  
dah sagstu kurz und gut/ dah auch des Morus Sāw<sup>3</sup>  
darinn nicht wühlen wolln. Ich lobe dein Beginnen/  
Ich küssē deinen Ruhm/ Ich ehre deine Sinnen/  
die Wolcken auffgericht/die/ was der Erd' anklebt  
Berachten wie man sol: Der Himmel laß' geschehen/  
dah Ich dich/ liebster Freund / beglücket möge sehen  
Auff Samia Ruhm - Altar unfehlbar eingeweht.

Zu Glückwünschung und stets wehrendem Andenken  
schreibt dieses seinem vertrauten Freunde


Henricus Zehl/ J. U. Stud.

E I N I S.










X2615901

VD 77



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



CHRISTO SUCCURRENTE!  
INCLITO PHILOSOPHORUM SENATU  
CONSENTIENTE

1658, 2

15

23

Thesef hasce politicas  
**DE LEGATO**

*Moderatore*

**CHRISTIAN FRIDERICO**

Frankenstein / LL. & Hist. Prof. Publ.

*ad*

placidam disquisitionem.

d. 27. Martii

A. S. M. DC. LVIII.

H. L. Q. C.

**CAROLUS Schram / Svidnic, Siles.**  
proponit  
A. & R.

LIPSIÆ,  
Ex Officinâ BAUCHIANA.

